

eodem Alexandri constituto principio sunt anni Ægyptij mil-
 le octingenti triginta duo, dies CCXCv, horæ undecim, scrup.
 XLV, tempore apparenti: æquato uero horæ XI, scrup. LV, un-
 de æqualis Lunæ motus erat partium CLXXXII, scrup. XVIII,
 anomalix locus part. CLIX, scrup. LV, æquatum uero parti-
 um CLXI, scrup. XIII, prosthaphæresis qua motus æqualis mi-
 nor erat apparente, partis unius, scrup. XLIII, Patet igitur in
 utraq; eclipsi æqualem fuisse Lunæ à terra distantiam, & So-
 lem utrobique apogæum ferè, sed differentia erat in deliquijs di-
 gitus unus. Quoniam uero Lunæ dimetiens dimidium ferè
 gradum occupare consuevit, ut postea ostendemus, erit eius
 duodecima pars pro digito uno, scrupul. II, s. quibus orbi obli-
 quo Lunæ circa sectiones eclipticas congruit gradus ferè dimi-
 dius, quo in secunda eclipsi remotior fuerit Luna à sectione a-
 scendente, quàm in prima à descendente sectione, quo liquidis-
 simum est latitudinis Lunæ uerum motum fuisse post comple-
 tas reuolutiones partes CLXXIX, s. Sed anomalix lunaris inter
 primam & secundam eclipsim addit æqualitati scrup. XXI, qui-
 bus prosthaphæreses seinuicem excedunt. Habebimus igitur
 æqualem latitudinis Lunæ motum post integros circulos part.
 CLXXIX, scrup. LI. Tempus autem inter utrumque deliquium
 erant anni mille sexcenti octuaginta tres, dies octuaginta octo,
 horæ XXII, scrup. XXXV, tempore apparète, quod æquali con-
 sentiebat, In quo tempore completis reuolutionibus æquali-
 bus, uigesies bis mille quingentis septuaginta septem sunt par-
 tes CLXXIX, scrup. LI. Quæ congruunt nostris, quos iam expo-
 suimus.

De locis anomalix latitudinis
 Lunæ. Cap. XIII.



MT autem huius quoque cursus loca firmemus ad præ-
 assumpta principia, assumpsimus hic quoque binos
 defectus lunares, non ad eandem sectionem, neque
 è diametro & oppositas partes, ut in præceden-
 tibus, sed ad easdem Boream uel Austrum, Cæteris uero
 omnibus